genium sed negligunt lectionis studium, et quod legendo scire poterant negligendo contempnunt. Quidam amorem sciendi habent sed tarditate sensus prepediuntur qui tamen assidua lectione sapiunt quod ingeniosi per desidiam [non] nescierunt. Ingenio tardus et si non per naturam per assiduitatem tamen lectionis augmentatur. Nam quamvis sensus ebitudo sit frequens tamen lectio intelligentiam adhibet. Sicut qui tardus est ad capiendum pro intentione tamen boni studii premium percipit, et qui prestitum sibi a deo ingenium intelligentie negligit condempnationis reus existit quia donum quod accepit despicit, et per desidiam derelinquit. Quidam dei iudicio donum sciencie quod negligunt accipiunt ut durius de rebus creditis puniantur. Tardiores autem ideo quod discere cupiunt difficulter inveniunt ut pro maiori exercitio laboris maximum premium habeant retributionis.

Capitulum x. de doctrina sine gratia

Doctrina sine adiuvante gratia quamvis infundatur auribus ad cor numquam descendit. Foris quidem perstrepit, sed interius nihil proficit. Tunc autem dei sermo infusus auribus ad cordis intima pervenit, quando dei gratia mentem interius ut intelligat tangit. Sicut enim quosdam flamma caritatis sue illuminat ut vitaliter sapiant, ita quosdam frigidos torpentesque deserit ut sine sensu persistant. Plerique in acumine intelligendi vivaces existunt sed loquendi inopia angustantur. Quidam vero in utrisque pollent quia et sciendi copiam et dicendi efficaciam habent.

Capitulum xi. de superbis lectoribus

Plerique scientia accepta scripturarum non ad dei gloriam sed ad suam laudem utuntur dum ex ipsa scientia extolluntur et ibi peccant ubi peccata emendare debuerant. Numquam consequuntur legendo perfectam scientiam arrogantes. Nam quamvis sapientes in superficie videantur medullitatis tamen veritatis [archana] non tangunt quia superbie nube prepediuntur. Semper enim superbi legunt et numquam inveniunt divine legis penetralia humilibus et bene ad deum intrantibus patent. Pravis autem atque superbis clauduntur. Nam quamvis divina eloquia in lectione arrogantibus sint aperta in misterio autem clausa atque occulta sunt, dum sermo dei fidelibus lux sit, reprobis autem ac superbis quodammodo tenebrescat et illi illuminantur inde isti cecantur.

Capitulum xii. de carnalibus lectoribus

Nequaquam legem intelligit qui verba legis [carnaliter] perquirit sed is qui eam sensu interioris intelligentie perspicit. Nam qui litteram legis intendunt eius occulta penetrare non possunt. Multi enim non intelligendo spiritualiter scripturas nec eas recte sciendo in heresim devoluti sunt atque in multis erroribus defluxerunt. In solis fidelibus relicta est lex testante domino per prophetam